VII. *De Globulorum Sanguineorum magnitudine, &c. ex Epistola D.* Antonii a Leuwenhock *ad* Jacobum Jurin, *M. D. R. S. Secr.*

DELPHIS, 19 *Martii*, 1723.

EX tuis litteris intellexi inventam tibi rationem esse, qua diametros globulorum sanguineorum, aliarumque minutissimarum rerum, certo cognoscere possis, adeo quidem ut deprehenderis diametrum globuli sanguinei cum parte $\frac{1}{1940}$ lati pollicis magnitudine convenire.

Hoc ego inventum cum legerem, summa voluptate affectus sum; statimque sic mecum ratiocinabar: si 1940 globulorum sanguineorum diametri lato pollici longitudine respondent; adhæc si corpora instar globi rotunda eam ad invicem proportionem habent, quam habet numerus cubicus ad suum axem, sicut a Geometris traditur; sequitur corpus, quod ex 7301384000 globulorum conjunctione componitur, haud majus esse corpore globoso, cujus axis latum pollicem longitudine adæquet.

Et quia de examinando denuo sanguine me rogaveras; meum ipsius & duarum præterea personarum sanguinem visu exploravi: planeque comperi 4 diametros globulorum sanguineorum, uti scripsisti, convenire cum diametro [a] fili argentei, quod mihi mittere dignatus es. Id solum dicere habeo, quod globulos quosdam sanguineos,

[a] *Hujus fili argentei diametri* 485 *pollicem, sive duodecimam pedis Loudinensis partem, conficiebant; quod compertum fuerat per Methodum in Actis Phil. Ioseph. expositam.* No. 355. pag. 761.

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

guineos, ſed perpaucos, viſu perceperim; quorum quaternæ diametri diametrum fili argentei longitudine aliquatenus excedebant. Verum conjiciebam globulos illos, quos ex pollice per acus punctionem eduxeram, & adhuc calentes vitro imponebam, a rotunditate figuræ nonnihil deſciviſſe ad figuram planam.

Hoc etiam addere habeo, præterquam quod gravis mea ſenectus viſui non incommodare non poſſit, oculum dextrum, magno incommodo meo, aliquantum mihi caligare. Id vero hinc accidere puto, quod plures globuli ſanguinei, in humore cryſtallino innatantes, ante viſum meum vagentur: quorum alii nullo vel confuſo ordine inter ſe conjuncti, alii ſeorſim fluitantes, imaginem quandam mibeculæ in oculo meo effingunt. Cum autem plerumque utar oculo dextro, ſiniſtrum enim inter ſpeculandum facilè claudo, hinc obtuſior mihi viſus eſt quam eſſe ſolebat.

Haud ita pridem, ſcilicet Januario nuper elapſo, circa magnum illud & neceſſarium organum, quod diaphragma vocitamus, vehementi ſum motu correptus; adeo quidem ut adſtantes non parum turbarentur. Cum motus remitteret, & morbi illius nomen exquirerem, Medicus, qui aderat, cordis eſſe palpitationem reſpondit. Ego verò Medicum falli cenſebam; licet enim, durante motu, pulſum arteriæ ſæpius manu explorarem, nullam pulſus accelerationem percepi. Vehemens ille motus, per intervalla recrudeſcens, tres circiter dies duravit; quo tempore ſtomachus mihi & inteſtina in officio motuque ceſſabant; mortemque pro foribus eſſe certiſſime credebam.

Ego vero obſtructionem in diaphragmate hærere judicabam, non minorem nummo imperiali.

Addis in epiſtola tua, prænobilis Domine, quod ovarium exterminare ſtudeam; ad quod ſalva pace reſpondeo,

ſpondeo, iſtum meum conatum non eſſe nuperum vel novellum, ſed me ante 25, & amplius annos in illo evertendo laboraſſe; eo quod opinio, quæ generationem ab ovario arceſſit, mihi prorſus inſulſa videatur. Ego a permultis modo annis tum aliorum animalium, tum avium atque piſcium, maſculina ſemina examinare ſoleo: quod potiſſimum ſub iſtud tempus quotannis facio, cum piſces ova ſua emittunt: Plerumque autem comperi ſemen maſculinum innumerabili ſcatere copia exiguiſſimorum animalculorum; ex iiſque potiſſimum componi. Quare pro certo ſtatui, minutiſſima illa animalcula in iſtius generis animalia, unde exorta ſunt, creſcendo evadere. Anguillas tamen, ſquillas, piſces conchatos, & varias muſcas excipio; quæ omnes ſunt femellæ, & fructus edunt, hac in parte convenientes cum fructibus arboreis: quorum in ſeminibus Plantulas deliteſcere comperimus; quæ vice maſculinorum ſeminum fructus iterum proferent, fructibus illis congeneres, ex quibus ſemina jam dicta exorta fuerunt.